



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Hieronymi Dandini Cæsenatis E Societate Iesv De Corpore
Animato Lib. VII.**

Dandini, Girolamo

Parisiis, 1611

Digr. 18. De ordine consequentis tractationis

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95641)

COMMENTARIUS LXXI.

Ergo hic contextus seu proëmium est futuræ tractationis. In quo tria de intelligente anima exponenda proponi Philoponus credit. Primum, an corruptibilis ea sit, an incorruptibilis. Alterum, quomodo à sensu differat: hocque, ut immortalis esse ostendat. Tertium; quemadmodum intellectio fiat. Sedis Philosophi verba minus percepit. Nam ut à secundo exordiar, in quo Themistius quoque, Auerroës, Albertus, sanctus Thomas consentiunt; quæri dicentes differentiam intellectus à cæteris animæ virtutibus: An non intellectus differentia à sensu & Phantasia satis antea probata est & declarata? Cum intelligere & sapere non esse idem, quod sentire, monstratum est. Iam verò cum sensus, aut Phantasia, aliarumque facultatum in hac propositione mentio non fiat; sed absolute dicatur (quam differentiam habeat) non video, cur non potius differentia, quæ in ipsomet consideretur, exponi debeat. Quæ inquam propria sit illius differentia essentialis, cuiusmodi sit facultas sit intellectus, quamque naturam habeat. Aut accidentaria differentia, quæ post explicabitur, ubi multiplex intellectus distinguetur, tum potestate, habitu, & actu; tum agens & patiens; tum theoreticus & practicus. Hoc igitur modo interpretemur (quam differentiam habeat) hoc est quæ sit propria ipsius essentia, quamque variis & multiplex, & quot modis consideretur & distinguatur. Quod si illius quoque à sensu differentia traditur; eatenus traditur, quatenus ad intellectus naturam, vim, & operationem explicandam necessaria est.

Deinde dum ait (sive separabilis illa sit, sive non separabilis) nequaquam id disputandum, sed prætermittendum potius proponit. Perinde ac si diceret: quidquid sit de hoc, videndum est, quam habeat differentiam, quoque modo intellectio fiat. Neque de ea, quæ est à corpore, separabilitate fortasse loquitur: sed Themistij, Auerroës, Alberti, & sanctæ Thomæ testimonio de illa potius, quam asseruerat Plato, animæ partes loco & situ separans; intelligentemque in capite, irascentem in corde, concupiscentem in iecore disponens. Cum præsertim non dicat (separabilis à magnitudine); sed (magnitudine); aut secundum magnitudinem) hoc est secundum corporis partes. Hæ namque duæ loquendi formæ distinctæ apud Aristotelem observantur. ut in textu 19. lib. 2. significare volens separationem secundum corporis partes, separationem dicit secundum locum (quod enim ibi dixit separabile loco, hic separabile appellat magnitudine). At post hæc in text. 36. ut separationem à corpore significet, separatam dicit à magnitudine.

Simplicium tamen secus interpretantem video: aut comparatione illarum animæ partium, de quibus dictum est, nutriens, sentiens, imaginantis; aut de ipso intellectu per se considerato. Ut illius differentias mox commemoratibus considerandum proponat, num ex in nobis sint velut plures intellectus pluresque substantiæ re diuersæ; an verò ut vnus, qui alia atque alia ratio-

A ne consideretur.

Sed quo minus ego has interpretationes probem, hæc faciunt. Si enim cum prioribus animæ partibus comparatio sit, ut Plutarchus item existimavit; cum queritur, num ab illis intellectus separabilis sit; aut queri potest, an sine illis esse queat; autan sit pars vel facultas animæ ab illis diuersa. Vtrumque antea definitum est. Alterum quidem ubi interiores & priores partes vel facultates docuit posse à superioribus & posterioribus separari solitariaque reperiri; at has ab illis nunquam diuelli. Alterum autem, cum non multò ante probauit intelligere & sapere non esse idem, quod sentire; Phantasiaque tum à sensu, tum ab intellectu distinctam esse. Ac rursus ubi in ipso serè tractationis exordio diuersos vitæ gradus constituens, intelligentem à cæteris diuersum posuit.

Posterior interpretatio magis probaretur, si id, quod ait Simplicius, considerandum, non prætermittendum proponeretur: tanquam id, quod minime ad rem præsentem eamque intelligentis animæ & intellectus, quæ nunc queritur, cognitionem pertineat. Prætermittendum autem non esset, immò maxime considerandum, an vnus sit, an plures substantia distincti intellectus; si hæc fuisset verborum illorum sententia.

Duo igitur sunt, quæ à Philosopho tractanda proponuntur. Primum; quam habeat intellectus differentiam, quæ in ipsomet consideretur; hoc est quid ille sit, quæ eius essentia; quæ propria, qua constat, differentia. Alterum; quomodo intellectio fiat. Cum enim non semper perfectum habeamus intellectum, immò rudes & cognitionis omnis expertes in hanc lucem veniamus; quomodo cognitiones omnes adipsamur videndum est; quoque pacto perficiatur intellectus, atque ex potestate mediante habitu ad perfectum adum deducatur. Porro hæc duo potissimum explicanda proposuit. Tu quia præcipua sunt; cum alterum contineat essentiam, qua cognita proprietates facile cognoscuntur: Altera operationem, ex qua in essentia cognitionem venimus. Tum quia magna de illis fuerat apud alios Philosophos dilectatio, & verò etiam ignorantio. Nam aut à sensu non distinxerant intellectum; aut ex omnium rerum initiis eum constare voluerant, ut cognosceret omnia: intellectionemque fieri à simili: aut Anaxagoras, qui maxime inter cæteros abstractum illum fecerat, nec satis distinxerat ab anima, hæc vlla ex parte docuerat, quomodo intellectio fieret; ut in text. 31. & 34. lib. 1. Aristoteles prodidit. Idcirco nunc & quæ illius natura & essentia sit docendum proponitur; & quemadmodum intellectio fiat. An inquam sit actio, an passio: an inde principium habeat, quod ex omnium initiis intellectus constat, ut Empedocles; an quod omnium rationes insitas habeat à natura, ut Plato; qui non cognitionem nouam acquirit, sed velut earum rerum quas sciebat anima antequam in corpus ingredere-tur, recordationem esse docuit in Menone. An demum quod intellectus potestate sit ad intellectuum omnium suscipiendas formas, an alio modo, quem Anaxagoras & alij non potuerint explicare.

Omnino autem credendum est de rota huius natura & operatione queri; ac potissimum an corporeo utatur organo, quemadmodum facultates cæteræ. Nec vereor dicere, quæstionem hanc his respondere, quæ in text. 12. lib. 1. posita sunt. Du-

EEEE ij

bitavit enim, an operationes Animæ cum corpore communes sint, an verò existat aliqua solius animæ propria. Cæteraque respondit absque corporis organo nequaquam fieri; siquæ verò solius animæ propria sit, eam esse intellectionem. Tum adiunxit; si hæc nil aliud sit, quàm Phantasia, aut non sine Phantasia; sine corpore eam esse non posse. Nunc igitur eò animæ disputatione deducta, ut de intellectione agendum sit; dubitationem eam vidit ad hunc locum pertinere. Et idèò considerandum proposuit, quomodo intellectio fiat: An ità, ut solius animæ operatio propria sit; an verò per corporis organum ipsa quoque perficiatur: An sit phantasia, an operatio ab ea tantopere diversa, ut sine illa profus esse queat. Hinc verò tota de intelligentis animæ à corpore separabilitate questio pendet, ut in tex. 13. eiusd. m. libri positum fuit.

Quò magis cognoscitur, priora illa verba (siue separabilis illa sit, siue non separabilis) verè fuisse dictum de hac separabilitate intelligenda non esse: siquidem ea questio postremis potius huius contextus verbis implicatur. Quàm verò illorum, quibus de separabilitate loquitur, expositionem proposui, confirmat magnopere tex. 19. superioris libri. Cùm enim vitæ gradus nominasset, vegetantem, sentientem, *διανοητικόν*, & motu præditum; duas proposuit questiones. Primam, num horum vnusquisque sit anima, an animæ pars. Alteram, num si est pars, ratione solùm separabile sit, an etiam loco. Etenim hic quoque & partem animæ dicit & separabile magnitudine id nominatur, quod loco & situ separabile prius dixerat. Itaque principium hoc, quo de intellectu dicere aggreditur, responde- re iis videtur, quæ de illo in superioribus libris definita & constituta satis non fuerunt.

Ea ferè tria erant. Primum in textu 12. lib. 1. an intelligere sit propria solius animæ operatio, & quomodo fiat in nobis. Alterum in tex. 21. alterius libri, an intellectus ratione solùm, an loco à cæteris animæ partibus separabilis sit. Tertium in textu 32. quænam sit intellectus propria vis & natura. Idcirco enim de eo nunc intellectu dicendum statim proponit, qui est animæ pars; ad textum 19. citatum respiciens; in quo inter Animæ partes intellectum commemoravit. Deinde tres questiones significat. Primam; quam in textu vigesimo primo dixerat definiti non posse, Num is magnitudine separabilis sit. Alteram in textu 32. prætermittam, Quænam sit propria intellectus differentia. Tertiam, quam in primo libro proposuit; Cuiusmodi operatio sit intellectio, & quomodo fiat.

Questionem tamen eam, quæ est de separabilitate, disputare prætermittit. Aut quoniam satis est illud, quod in textu 92. libri primi dictum est; ne fingi quidem posse, qua parte quodæ corporis loco contineatur. Aut quòd opus non est seorsim eam tractare; sed propriam intellectus differentiam & naturam exponendo; eum videlicet impartibilem esse, neque cum materia & corpore permixtum; satis intelligetur separabilem eum natura esse à cæteris animæ partibus esseque aliud animæ genus, ut in secundo libro positum est: Non loco aut magnitudine distinctum; siquidem locum & magnitudinem non habet, si corporeus & materialis non est. De se-

parabilitate autem à corpore, vbi ostensum fuerit eum non vti corpore, esseque illi impartibilem, quia intelligit omnia; cognoscitur quoque esse à corpore separatum. Propterea questionem hanc non proponit: Non quòd ad hunc locum non pertineat, aut necessaria non sit; sed quòd vbi intellectus natura exposita fuerit, quomodo intellectio fiat; statim intelligitur separabilem eum esse.

Et si verò vox illa partis eò fortasse, quo dicitur, referenda sit; integrum tamen illud orationis membrum (De parte autem animæ, quæ & cognoscit Anima & sapit) quo intellectus tractationem primùm aggreditur; partem superioribus illis responderet, quibus post phantasiam de hypolepsi, hoc est de intellectu, agendum proposuit in tex. 135. partim hinc, quibus de Phantasia postremò conclusit fuisse dictum. Hac enim priori propositionis illius parte expedita ad posteriorem ita accedit. De phantasia dictum est quid sit & propter quid sit; & addit, De parte autem animæ scilicet, quæ scilicet ad existimationem pertinet. Atque dum Animæ partem intellectum appellat, quo cognoscimus & sapimus; Triaprosus significat. Primum, sentientis atque irrationalis partis tractationem ad exitum fuisse productam: quoad ea scilicet, quæ illius propria sunt & specialia: Nunquam partis alterius, quæ rationalis est, considerationem inchoari. Nam si appetitum & motum desideres; ij proprii illius non sunt, sed cum rationali communes. Alterum; perperam Alexandrum interpretatum fuisse id, quod post dicitur, intellectum impartibilem esse, immortalem, & æternum; de eo intellectu dici, qui extrinsecus nobis aduenit, quemque is Deum esse existimavit. Etenim si de solo intellectu, qui pars animæ sit, dicendum proponit; vbi intellectum æternum dicit, non diuinum (quorsum enim, dum de Anima dixerit, de Deo loquatur?) sed humanum, quique Animæ pars est, intelligere oportebit. Tertium ac postremum; Animam, si vniversè accipiatur, non vnã simplicem & indiuiduam naturam pluribus partibus, hoc est facultatibus, præditam significare; ut Plutarchus credit. Non solum enim vnã & eadem substantiam, vt obiecit Philoponus, corruptibilis & incorruptibilis esse nequit; sicut anima est, quæ partim corruptibilis est, partim incorruptibilis. Verùm etiam in Anima cogitari nequeunt eæ partes, quæ in corporibus & magnitudinibus conspiciuntur. Sed cum animæ partes Philoponus nominat, plures naturæ partes significat. Quæmodum in generibus & iis, quæ superiora sunt multaque sub se continent, partes esse dicuntur; hoc est species. Sic enim vniversum animæ genus in rationale & irrationale; ac rursum irrationale in vegetans & sentiens, tanquam in partes vniverso generi seu cuiuspiam toti subiectas diuidimus. Nil aliud profectò significantes; quàm plura esse illa; quæ actus corporis esse possunt; eorumque vnũ rationalem animam esse. Et vnãquamque animam simplicem vnã naturam esse pluribus instructam facultatibus, verissimè dixeris. Quas si appellaueris partes, non naturæ, sed virtutis & potentatis agendi, verè etiam & Aristoteli consentaneè appellaueris. Nam hoc ipso in loco partem Animæ, tum rationalem Animam, tum intellectum solum, qui facultas illius est, intelligere licet. Illam velut speciem quandam vniversi generis animarum;

animarum; Hunc tanquam facultatem & partem virtutis huius ipsius rationalis anime. Illa ut principio primo ac precipuo; hoc vt secundario & illius primi instrumento, cognoscimus & sapimus. Eoque minus mirum fuerit, si non de Anima, sed de intellectu interpretaris; quod in superioribus quoque post generalem Animæ semel traditam definitionem de facultatibus potilis, quàm de substantia, deinceps egit: ex facultatibus tamen substantiam inuestigare volens & intelligi. Quare nunc etiam vere dixerit Simplicius primarium scopum non intellectum, sed rationalem animam esse.

Cognoscere At quid est illud? (qua cognoscit anima & sapit). Quàm appositè dixerit S. Thomas, cognoscere apprehensionem, & sapere iudicium significare; libenter aliis examinandum relinquam. Mihi certe neque ad rem, neque cum ratione pronuntiatum videtur. Vt nec illud Alberti, cognoscere practicam artis & prudentiæ cognitionem continere; sapere theoreticam; sapientiam scilicet, intellectum primorum principiorum, & scientiam. Etenim nulla ratione ductus cognoscere ad praxim reuertit; contra omnem verò rationem sapere ad theoriam. Propter solam scilicet vocem, sapere & sapientiæ similitudinem & cognationem. At Græcè est *ἔσθην*, unde *ἔσθως*, prudentia, quæ practica tota est. Sapientia verò Græcè *σοφία*. Intellectus potèrò principiorum non omnibus fortasse theoreticus omni ex parte videbitur; cum quædam etiam sint principia practica, velut primæ rerum agendarum regula.

Audiri magis possint Themistius, Philoponus, & Auerroës, cognoscere theoreticum esse, sapere practicum. Aut etiam Simplicius (sapere) adiunctum fuisse verbo (cognoscere); tum vt exponeret, quale sit illud cognoscere, quod est rationalis Animæ proprium: nempe perfectum esse multo que magis exquisitum; quàm sit in sensu, qui sola percipit accidentia. Tum vt actiuam quoque ipsius virtutem indicaret. Nam & in superiori textu intellectum in hominè agendi principium posuit, & cum post in theoreticum, & practicum diuisurus est. Aut demum interpretari licet; Quæ cognoscit quocumque modo; & sapit, hoc est perfecte cognoscit, intum rei naturam & causas penetrando.

Quamquam cum ego probarem maximè, qui ex superioribus horum verborum sententiã colligeret, cum n. intellectum nunc primùm agrediat; nec dum is in theoreticum, & practicum aliafque differentias vllas diuisus sit; quorsum nunc theoreticam, & practicam cognitiones significaret? Quo igitur modo antea in text. 150. & 152. *ἔσθην* & *ἔσθως*, intelligere & sapere nominauit, eodem nunc *ἔσθην* & *ἔσθως* dicit. Et vt ibi *ἔσθην* cognitionem omnem in nobis intrinsecus excitatam significabat, & *ἔσθως* cognitionem quamlibet intellectus propriam: ita hîc hæ duæ voces tantumdem significant; quarum posterior priori additur, vt generalem cognitionem, ad eam, quæ intellectus propria est & specialis, contraheret. Præsertim cum in eodem text. 150. animam dixisset duabus maximè differentijs definiri, motu & intellectione: nuncque post phantasiã, quæ intellectus item quidam dicitur, de intellectu propriè

A appellato dicitur, & motum in posteriorem tractatum relicturus; De parte inquit animæ quæ cognoscit, ad differentiam motricis; & sapit, ad differentiam phantasiæ, quæ cognoscit quidem, sed non sapit. Priorem verò mutauit vocem; neque *ἔσθην* dixit, sed *ἔσθως*; quia si de intellectu loquens *ἔσθην* dixisset, propriè ac prælle pro sola intellectus cognitione id acceptum fuisset. Similem tamen loquendi formam seruare voluit; vt hanc cum antecedenti tractationem meliùs neceret; atque in generali cognitione ad specialem intellectus propriam gradum faceret; id primùm proponendo, quod commune est (cognoscere); deinde proprium ac speciale addendo (& sapere).

Digressio XIX. De multiplici intellectu appellatione.

Verum enimverò antequam vltèrius interpretatio nostra progrediat, operæ pretium fuerit pauca quædam summam perstringere de multiplici intellectu varietate atque appellatione, qua deinceps ab Aristotele commemoratur; vt facilius ac planius singulorum mox explicatio nobis euadat. Triplicem is statim intellectum nominabit: Vnum potestate, alterum habitu; tertium actû. De quibus magna existit inter Græcos interpretum disputatio. Nam Alexander intellectum potestate eum esse dixit, qui est in pueris atque ad eò hominibus omnibus, qui nondum cognitionum habitibus imbuti sunt. Potestate inquam, tum ad operationem, tum ad substantiam: vt non solum non operetur, sed nec dum forma ipsius & substantia in illis sit. *ἔσθην δ' ἀδύνατος*, inquit ille, *ἔσθως δὲ ἔσθην πᾶσι τῶν ζῴων ἀπὸ τῆς ἀφύπνου καὶ ἀσύνετου φύσεως*. Id est; gignitur homo haud quaquam illic habitus hoc præditus: sed potestatem quidem habens, & aptitudinem eum suscipiendi; post autem eum accipiens. Non enim is ad hoc vt homo sit, sed vt bene sit pertinet. Quæ autem ad hoc solum conferunt, vt bene sint, hæc perfectis iam & adultis adueniunt. Siquidem bene esse ad id, quod perfectum est atque adultum, attinet. Et quia quod potestate ad formam existit eamque suscipere natum est, materia est; intellectum hunc materiale, atque intellectibilem materiam appellauit; qui ad omnes formas suscipiendas verè aptus est, cum omnibus careat. Quoniam enim intelligere res omnes potest, tum sensiles, tum intellectuales; nihil omnino esse actû debet eorum, quæ sunt, sed omnia potestate. Et intelligendò quidem sit vnumquodque eorum, quæ intelligit; sed ipse potestas quædam solum est, & ad excipiendas formas aptitudo: tabella nondum inscripta, immò tabellæ potius ἀγράφου, quàm ipsi tabellæ similis. Tabella namque iam in entium numero est. Quare id potius, quod anima præditum est, tabella comparaueris; ipsum verò ἀγράφον in ea fuerit intellectus materialis; velut aptitudo excipiendis inscriptionibus idonea.

Eadem Themistij textum 4. & 5. mox enarratis videtur fuisse sententia. Sic enim ex interprete loquitur. Necessè est cum omnia intelligat, omnia esse potestate; hoc est nec speciem, nec formam